



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118472

§. 56. Lautrecus cunctis Nobilibus invisus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66495)

noctes vigilias agere oportuerit, donec Sæcul. XVI.
A.C. 1521.
aucta præsidia, ac murorum ruinæ re-
paratæ essent; pertimescebant enim Gal-
li, ne forte hostis clam urbem invade-
ret, eoquod Principes, qui Cæfari
favebant, ac magno in numero erant,
unice eo curas intenderent, ut favente
hoc terrore, quo omnes ex hoc casu per-
cellebantur, arcem expugnarent.

§. LVI.

Lautrecus cunctis Nobilibus invisus.

Equidem Lautrecus huic malo reme-
dium ponere sollicitus erat; verum
alia ex parte intempestivam exercebat
severitatem, qua omnium Mediolanensi-
um Nobilium invidiam in se concitabat.
Jam supra memoravimus, Mainfredum
Pallavicinum a Grammontio Comite ca-
ptum, validoque præsidio stipatum ad
Mediolanensem urbem fuisse abstractum.
Istius ergo suppicio ceteros esse terren-
dos existimabat Lautrecus, unde ad-
versus eum judicii acta instrui, Senato-
res jubebat. Id vero recusabant non pau-
ci, quidam autem illum in Franciam ef-
fe mittendum, consulebant, demum ex-
ponebant omnes, hac agendi ratione
non modo illustrissimas Mediolanensium
familias, sed ipsum quoque Pontificem,
cui Pallavicinus sanguine junctus esset,

vehe-

Sæcul.XVI vehementer irritari. Nihilominus spre-
A.C.1521. tis omnibus hisce monitis Lautrecus
 Pallavicinum capite truncari jussit, quin-
 imo Historicorum nonnulli referunt, eum
 equis in diversum concitatis disceptum
 fuisse, nec his contentus adhuc, quod
 turpius est, Lautrecus, sordida avaritia
 seductus, omnia rei bona ærario addi-
 xit, eaque fratri suo Lescuno Marescal-
 lo donavit, quo indigno facinore fratris
 sui redditus viginti ducatorum millibus
 auxit, sibi vero omnium proborum ho-
 minum invidiam, ac seditionem accer-
 sivit.

§. LVII.

Fædus Æthiopiæ Regis cum Lusitano Rege.

Italia interim tot turbis agitata, Da-
 vid Æthiopiæ Rex Turcarum poten-
 tiā veritus, ad Emanuelem Lusitaniæ
 Regem literas dedit, quibus illius præ-
 fidium adversus hostes suos implorabat.
 Epistola ejus elogiis in Emanuelem libe-
 ralius effusis plena erat, speciatim vero
 grates illi referebat, quod Matthæum,
 quem anno millesimo quingentesimo de-
 cimo quarto Legatum in Lusitaniam mi-
 sisset, adeo honorifice excepisset, hunc
 vero jam fatis functum significabat. De-
 mum suum Regi explicabat desiderium,
 quo suas copias Lusitanis jungere vellet,
 ut